

sit, qui non in earum lectione caecutiat. Apocalypsis Joannis tot habet sacramenta, quot verba. Parum dixi pro merito voluminis. Laus enim inferior est. In verbis singulis multiplices latent intelligentiae.

7. Oro te, frater carissime, inter haec vivere, ista meditari, nihil aliud nosse, nihil quaerere. Nonne tibi videtur jam hic in terris regni coelestis habitaculum? Nolo offendaris in scripturis sanctis simplicitate, et quasi vilitate verborum: quae vel vitio interpretum, vel de industria sic prolata sunt, ut rusticam concionem facilius instruerent, et in una eademque sententia, aliter doctus, aliter audiret indoctus. Non sum tam petulans et hebes, ut haec me nosse pollicear, et eorum fructus in terra capere, quorum radices in coelo fixae sunt; sed velle fateor. Sediti me praefero: magistrum renuens, comitem spondeo. Petenti dantur, pulsanti aperitur, quaerens invenit. Discamus in terris, quorum nobis scientia, perseveret in coelo. Obviis te manibus excipiam, et ut inepte aliquid ac de Hermagorae tumiditate effundam, quidquid quaesieris, tecum scire conabor.

8. Habes hic amantissimum tui fratrem Eusebium, qui litterarum tuarum mihi gratiam duplicavit, referens honestatem morum tuorum, contemptum saeculi, fidem amicitiae, amorem Christi. Nam prudentiam et eloquii venustatem, etiam absque illa ipsa epistola praeferbat. Festina, quaeso te, et haerentis in salo naviculae funem magis praecide, quam solve. Nemo renuntiaturus saeculo bene potest vendere, quae contempsit, ut venderet. Quidquid in sumptus de tuo tuleris, pro lucro computa. Antiquum dictum est: Avaro tam deest, quod habet, quam quod non habet. Credenti totus mundus divitiarum est. Infidelis etiam obolo indiget. Sic vivamus, tamquam nihil habentes, et omnia possidentes. Victus et vestitus, divitiae Christianorum sunt. Si habes in potestate rem tuam, vende: si non habes, projice. Tollenti tunicam et pallium relinquendum est. Scilicet nisi tu semper recrasti-